

Scriptor ibi siste. tenuit labor iste satis te.

CLXIV.

U. 145 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 263. f. non una manu perscriptus, rubricis notatus, et, ut praefertur, *donatione inter vivos cum plerisque alijs libris datus Collegio Ducali ab ejus Collegiato M. Andrea de Potenprun*, qui Pagus est non procul ab *S. Hippolyto* infer. *Austriae*, A. L. et Theol. Prof. atque ad *D. Stephani* Canonico, bis, anno videlicet 1469. et 1475. supremo Academiae magistratu functo, *Commentarius* est in *D. Matthaei Evangelium*, cujus *Προλεγόμενα* ita ineunt. *Euangelium grece, latine bonum nuncium interpretatur. Eu enim grece, latine bonum, angelum dicitur nuncium; licet enim omnis scriptura bona nunciet, magna tamen distantia est inter ea, que per seruos locuta est, et que per Dominum sunt gesta. Et bene hec Doctrina bonum nuncium dicitur, quia semper ea nobis annunciat, que ad salutem et profectum animarum, et ad percipiendam uitam eternam attinent. Et sciendum, quod sicut una est fides et unum baptisma, ita et unum est ewangelium; quia et una doctrina. Et quod unum sit, Dominus manifestat, cum dicit, *Ite predicate euangelium omni creature. Et paulus, Notum facio uobis fratres euangelium, quod euangelizatum est a me. Nos ergo quotiescunque plurali numero dicimus euangelia, non doctrinam diuidimus, sed libros distin-**

*guimus. Quod quidem euangelium Dominus ac redemptor noster &c. Describenda erant haec hucusque; hic enim coincidunt cum Editione hujus Commentarii Antwerp. 1551. 8. quam e Codice, ut ait, vetustissimo et male habito Bibliothecae Conuentus O. M. Mechlin. curavit F. Job. Cnippius adjutore non incelebri F. Petro Crabbeo. Atque in Codice quidem nomen Anselmi Cantuariens. praeferebat. Idem nomen: Anselmus Anglicus, in calce Exempli nostri ad marginem legitur, ad finem vero ipsius textus annus miniatus 1112. qui utique tertius esset ab Anselmi excessu, et ille fortasse, quo scriptum fuit Exemplum, cujus nostrum ἀπογραφήν est. Atque hac ratione firmaretur in possessione hujus Commentarii Anselmus; quis enim credat jam tertio a morte anno adscriptum illi fuisse alienum opus? Quid autem si Librarius noster Anselmum dixit Anglicum, quem Laudunensem dicere debuisset? Non desunt Eruditi, qui Commentarium ad hunc anno 1117. defunctum referunt, dum interea alii Guilelmum Arvernum Ep. Paris. ✠ 1249. alii Herveum Monach. Dolensem circa a. 1130. alii denique Petrum Babyonum Anglum circa 1320. autorem faciunt. Litem inter hos componere sibi visus est Oudinus, dum T. II. col. 938. ad Codices Bibl. Reg. Paris. provocans indubium Babyonis Commentarium incipere ait: *Dominus ac redemptor noster**

noster ad commendationem Evangelicae fidei &c. et verum Anselmi Laudun. Commentarium: Evangelium graece; latine bonum nuntium interpretatur &c. Verum nihil dixit Oudin; haec enim duo Initia mox in idem redeunt, ut sub ingressum legisti. Nihil igitur certi conficiemus, Codicibus mss. jam hunc, jam illum ex dictis Autoribus praefixum habentibus, nisi quod non aspernandae videntur rationes, quas pro Guilelmo innuit Theoph. Raynaudus S. J. p. 456. edit. Opp. S. Anselmi Cant. Lugd. 1630. f. ubi et subtextit Περὶ λεγομένων nostri Commentarii inedita arbitratus, quod editionem Antverp. a me supra citatam ignorasset. Exemplum tamen ejus ficit in verbis: est libri apertio, tam Antverpiensi, quam Codice nostro ultra procurrentibus, et finientibus: tum per regnum, tum per ejus divinitatem. In ipso porro Commentario etiam Editio dicta et Codex frequentissime, idque non parum inter se discrepant. Finit illa: quemadmodum vidistis eum euntem in coelum; et hic: oriente jam sole, non orto ut nostri codices habent.

Theca utraque interior membranis talmudicis admodum vetustis constrata est.

## CLXV.

U. 48

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 120. f. per duas columnas exaratus, auro, coloribusque distinctus praenotatur: Hunc librum honorabilis uir Domi-

nus Berchtoldus de emmerstorff Cappellanus Domini Anthonij quondam prepositi ad Sanctum stephanum assignavit pro libraria Collegij ducalis. Cui retribuatur omnium retributor. Antonii hujus IV. Praepositi ab a. 1390. ad an. emortua-lem 1406. Acta texuntur in Specim. Hist. Cancellarior. Univ. Vien. p. 44. Complectitur porro Codex Postillas Nic. de Gorran O. P. Scriptoris Sec. XIII. jam memorati in Matthaeum, quae post alias Editiones, quas videre est in Fabricij Biblioth. lat. med. aevi, prodire cum aliis Evangelistis, curante Jac. Le Gall O. P. Lugduni 1692. Tomis II. f. Nulla, quod mirere, Editionis hujus mentio in Scriptt. Ord. cit. T. I. p. 440. Magis mirum Operis principium, quod ibi e Mss. citat Quetifus: Liber generationis. Sicut fluvius Paradisi &c. Istud enim non nisi C. I. Postillarum ipsarum principium est; praecedunt vero in Codice nostro non modo duo Praeloquia, sed etiam Expositio Prologi Hieronymiani in Matthaeum, quae hinc a Codicibus Quetiff abfuisse dicendum est. Neque multo felicior Editor Le Gall, qui, licet Expositionem dicti Prologi habeat, non tamen duo illa Praeloquia in Exemplis suis invenit. Praerogativam igitur meretur Codex noster ob haec Praeloquia, quae haecenus non videntur prelo subjecta fuisse. Atque primum in illud: Egredimini et videte filiae Sion &c. Cant. 3. incipit: Quemadmodum unumquodque opus ex suis principiis in esse progreditur.

Ita

Q 3